

Botan 255^d.

13
DISSERTATIONEM INAUGURALEM

A

CLARISSIMO MEDICINAE CANDIDATO

FRANCISCO OSLSLO

D. XX. MENS. IAN. A. MDCCCIII

HABENDAM

INDICIT

D. GEORGIUS RVDOLPHVS
BOEHMER

CONSIL. AVL. SAX. THERAPIAE P.P.O. FAC. MEDICAE ET
TOTIVS ACAD. SENIOR PHYSICVS PROVINCIAL.
SOC. OECON. LIPS. SODAL.

H. T.

FACULTATIS MEDICAE DECANVS

ET

Plantas Fabulosas Magica aliaque Virtute superstitiosas

RECENSET

SPECIMEN VI.

DISSERTATIONEM IN AVERBARIUM
A
CLAUDIO MEDICAE CANDIDATO
ERANCLISCO OSTIUSO
D. XX. MENS. JAN. A. MDCCCII.
HAB. D. M. N. P. M. D. N. P. M. D. N. P. M.

D. GEORGIVS RUDOLPHVS
BOEHMER
CONSIL. AVI. SAC. THEOPHIL. LEO. FAC. MEDICAE ET
PHYSICAE SENIOR, PHYSICVS REGIACVS
SOC. REG. LIT. SODAL.
FACULTATIS MEDICAE BRUNNENSIS

ET
Phonon Tabularum Magicae et aliarum Virtutum Spectabilium
STECIMEN VI.

homines in bruta convertantur. Sic Circes Veneni et nocentis Virgae
 attactu in Pici comitis variarum monstra ferarum venere, vt fabulatus
 est OVIDIVS, et coniuncta herbarum efficacia cum carminum virtute
 Scyllam formosam fecit deforme monstrum iterum peritae Circes
 opera. Conf. MENZII Disp. de pl. fabul. §. 9. Hic quoque nomi-
 nari posset MOLY, de quo HOMERVS Odyss. X. scribit:

Nigra radix, lactis flos aemulus, herbam
 MOLY vocant superi, multo hanc magnoque labore
 Mortales fodiunt, sed dis procliuia cuncta.

Tradunt insuper eam inuentam a Mercurio, qui contra veneficia et
 magicas artes Vlyssi illam tradiderit, vt eam aduersus fraudes et ille-
 cebras Circes, quae eius socios in varias belluarum formas mutabat,
 sese muniret. Conf. TRILLERI Disp. de MOLY Homericis detecto
 cum reliquis ad fabulam Circaeam pertinentibus, Lips. 1716.

Nominemus nunc plantam, quae diuersas simul inuoluit fabu-
 las. Erit haec PAEONIA. Veteres Paeoniam noctu collegisse, apud
 THEOPHRASTVM Hist. Pl. L. 9. c. 9. et PLINIVM L. 25. c. 4. et L. 27.
 c. 10. legimus, occupati enim vana superstitione verebantur, ne Pi-
 cus martius, Paeoniae custos, obseruans interdum eius fossores, inui-
 olatu violento laederet ipsorum oculos, neue iisdem prociderit anus.
 Conf. HÜNERWOLF de Paeonia p. 18. Aliam de effossione radicis fabu-
 lam retulit IOSEPHVS Hist. de Bello Iudaico L. 7. c. 25 scribens: Baavas,
 quae, vt a multis assumitur, ipsa est Paeonia, hanc euellere facilis
 non est, sed tam diu refugit, nec prius manet, quam si quis vrinam
 muliebrem vel menstruum sanguinem super eam fundit, quin etiam
 tunc, si quis eam tetigerit, mors certa est, nisi forte illam ipsam
 radicem ferat de manu pendentem; capitur autem alio modo sine pe-
 riculo, qui talis est; totam eam circumfodiunt ita, vt minimum ex
 radice terra sit conditum, dein ab ea religant canem, illoque sequi eum,
 a quo religatus est, capiente, radix quidem facile euellitur, canis
 vero continuo moritur, tanquam eius vice, a quo herba tollenda erat,
 traditur, nullus enim postea accipientibus metus est.

De *Cynosbato* eadem ridicula narrat AELIANVS Hist. Animal. L. 14. c. 27. Paeonia, si ianuis, aut parietibus suspenditur, aut ab humano corpore gestatur, valere ad arcendum spiritum malignum, diuinationem, et conciliandam superiorum gratiam, refert PLINIUS. Superstitiosum esse, recte censet PAVLI quadrip. Botan. p. 120, vt si quis eam in naui habeat, ea tempestatem compesci posse, sit quantum velit, vt APVLEIVS Cap. 64 loquitur, mirabilis, addit tamen in vsu esse Afris ob ingentem vim serpentum, hinc praestabit eam viatoribus commendare, vt de collo suspendant, atque hoc modo se praemuniant aduersus morsos virulentorum animalium; VIRGILIUS Hippolythum, equis dilaceratum, iterum construxisse, animamque ex aethere renouasse, AENEID. L. 7. refert his verbis:

ferunt fama Hippolythum postquam arte Nocerae
 Occiderit patriasque explerit sanguine poenas
 Turbatus distractus equis ad sidera rursus
 Aetheria et superas coeli venisse ad auras
 Paeoniis reuocatum herbis.

APVLEIVS c. 64 laudat radicem appensam, aut circumligatam contra dolorem Ischiadicum eandemque collo appensam morbum comitialem abigere, retulit GALENVS L. 6. de Simpl. Med. Facult. capite de GLYCISITA, item AELIVS Tetrab. I. Serm. I. FORESTVS L. 10. obs. 59, aliique.

Ad *Diuinandum* et *Vaticinandum* adhibitum praecipue fuisse LAURVM copiose docuit WAGNER in Libro de Lauro, Helmst. 1732. edit. p. 39 et 89. Vates Laurum manducantes oracula dederunt, alias Vaticinaturi et oracula consolentes laureis coronis ligati fuerunt; porro ramos Lauri manibus gestabant templum introituri; diuinationem ex foliorum combustorum sirepitu, et ex Lauro recens nata bona auspicia desumerunt, e contrario vero arescentes Lauri moestiissima portenderunt omina. De his aliisque huc pertinentibus legi debet WAGNERVS.

Huc quoque spectat *Virgula diuinatoria* ita appellata, quod illius ope metalla potissimum diuinentur ex antiquissima magorum consuetudine, qua mediantibus virgis rerum immutabant formam et futura diuinabant, adhibenturque hunc in finem variae Virgae et speciatim, vt

apud NICANDRI Interpretem in Theriacis legimus, Apollinem Vaticinis sanxisse MYRICAM et propterea hanc fruticem NICANDRUM MANTIN vocasse, id est Vatem. Sunt, qui ex solis Coryli Bilidis ramulis desumi credunt, neque omnibus ita licet esse beatis, ut virtutem eius inclinatum manibus suis experiantur. Coryli enim cum metallicis Sympathiam in eo consistere asserunt, ut illius Virga in locum, ubi metalla latent, recta delata illico flectatur in absconditi metalli indicium. Conf. SPERLINGII Diss. de Virgula mercuriali, Witt. 1658.

Verum has, hac vice nominasse, sufficiat. Transeamus potius ad Commendationem

NOBILISSIMI ET DOCTISSIMI CANDIDATI
FRANCISCI OSLISLO

Eumque ad exercendam Medicinam egregie se praeparasse, ex Eius vitae curriculo apparebit.

*E*go, FRANCISCUS OSLISLO, Loslaviae, Oppido in superiori Silesia sito d. XXXI. Martii anno praeteriti saeculi MDCCLXII in lucem sum editus a Patre IOSEPHO OSLISLO ciue et sartore, Matre vero ELISABETHA e gente CLOSIANA. Quibus parentibus iam proh dolor! e vivis mihi ereptis debitas ac pias fundo lacrymas. Ab incunabulis meis, ut rite educarer, Optimi Parentes diligenter curarunt. Primas quas puerilis aetas capere potest institutiones in schola oppidana traditas accepi. Ut vero omnibus litteris quae iuuenem, ad altiora quae nuncupantur literarum studia praeparant, imbuerer, inprimis Scholas publicas Raudae apud Cistercienses, per triennium frequentavi, deinde disciplinae Exiesuitarum traditus, atque iterum per triennium eorum institutionibus publicis eruditus sum. His humanioribus ita dictis per sexennium absolutis, inter Candidatos Regulae S. Francisci Conventualium adscribi passus sum. In Monasterio Glogouensi per biennium Philosophiae operam nauavi, qua absoluta ac defensa, ac postremo votis solitis susceptis Wratislauiam in monasterium missus, ubi per triennium Theologiam ac ius Canonicum audiui. Quo praeterlapso, variis in locis tum Concionatoris, tum Capellani, ac Curati munere ex voluntate superiorum, non frustra, ut puto, functus sum. Iam variis de cau-

sis haud leuibus sane permotus Theologiae abdicandi consilium coepi. Itaque Patria relicta, fretus Dei O. M. auxilio anno MDCCIXC Vitebergam confugi, atque a Viro S. Rev. D. NITZSCHIO Superintendente Patrono meo ac Fautore summo cultu a me Deuenerando beneuolentissime exceptus, relictae Romanae Ecclesiae dogmatibus, Lutherana amplexus sum. Viro autem S. Rev. D. SCHLEVSNERO Patrono ac Fautori pie Colendo, tum Reſtori Academiae Magnifico, nomen professus ac iura ciuis academici adeptus sum. Quo facto per quatuor annos arti salutari operam dedi, atque Illustr. ac Exp. BOEHMERVM Senioremem Academiae Grauiſſimum, quem ob insignis in me fauoris documenta ac beneficia ut Patronum ac Patrem pio cultu ad cineres vsque veneror, atque pro longuaeua continuatione vitae Eius, Deum O. M. sanctissime precor Therapiam generalem et specialem atque materiam medicam explicantem audiui, sicuti etiam societati, quae sub Eiusdem auspiciis disputando exercetur, quoad hic vixi, magna cum utilitate interfui. Exp. b. TITIO Physiologiam comparatam, Botanicen, Chemiam et Pharmaciã experimentalem, Medicinam publicam et forensem debeo. Exp. KREYSIGIVS Zoonomiam, Scientiam herbarum physiologicam, Pathologiam ac chirurgiam me docuit; etiam Systema BRUNONIS atque ROESCHLAUBII enucleantem audiui, nec non Eius praelectionibus clinico-practiſis per biennium et quod excurrit interesse mihi contigit, neque minus hic inter lectulos aegrotorum versandi ac sub ipsius auspiciis morbos curandi largiſſimam mihi praebuit occasionem. Cui Viro de salute mea summo opere merito, pro singulari paterno patrociniõ quo per totam vitam academicam frui tam felici mihi contigit, ac pro beneficiis ab Eo adeptis me publice obſtrictiſſimum profiteor, Eum et Patrem ac Fautorem semper filii pietate et sempiterna colam memoria. Exp. VOGT propter plurima beneuolentiae a fauoris erga me testimonia Patronus ac Fautor non satis Deuenerandus, totam Anatomiam mihi tradidit, et in Theatro anatomico instrumenta corporibus mortuis applicandi largam mihi occasionem dedit, Eius etiam pathologicas ac chirurgicas praelectiones frequentavi. Exp. LANGGVTH Fautoris pie colendi historiam naturalem hominis, ac artem obstetriciam docentis, Exp. b. CHARITII eandem artem tradentis, Exp. b. GLAESERI, cuius beneuolentiae multum debeo cuiusque mortem adhuc lugeo, materiam medicam, doctrinam de lue venera exponentis atque unam chemiae partem tradentis, sicut Clar. DOERFFVRTHII

AA. LL. Mag. et Senat. Viteb. Assessoris Amplissimi, alteram post GLAESERI obitum chemiae partem experimentis illustrantis praelectionibus interfui, nec non Exp. ERDMANNO historiam Galuanismi experimentis illustratam debeo, cuius et amicitia et benevolentia sempiternae memoriae inhaerebit. Praeterea maxime laetor ob occasionem publice disputandi mihi datam; saepius enim in actibus inauguralibus medicis dissentientis munere functus sum.

Quo vero feliciori cum successu studia continuare atque ad portum metamque votorum meorum attingere possem, ex PRINCIPIS SEREN. ELECT. summa clementia stipendio procuratorio ornatus, atque a SUMMO SENATU ECCLESIASTICO insignibus beneficiis adiutus sum. Almae vero matri Academiae stipendium mensae Väterianae; Facultatis Theologicae Assessoribus summe Reuerendis stipendium Sigismundianum, Facultatis autem medicae Assessoribus Experientissimis multa beneficia, gratus debeo. Neque silentio praeterire possum Virum Ill. STVEBELIVM, nec non Virum Excellent. SCHROECKHIVM, Patronos ac Fautores singularis erga me benevolentiae, quibus etiam multa debeo commoda.

His igitur Patronis omnibus ac singulis, Maecenatibus Grauissimis, Optimis, maximas quas possum ago gratias. Te vero Numen sanctissimum deuotissimo adoro animo quod me apud externos eximiae munificentiae ac benevolentiae Patronis gaudere atque ita feliciter ad finem meum exoptatissimum peruenire clementissime voluisti; ut autem, quae in me collocarunt, beneficia large Illis liberaliterque remunereris, meque et in posterum eorum benevolentia ac fauore frui concedas, atque meis conaminibus in posterum quoque auxilio tuo diuino annuas, sanctissime oro rogoque.

Si itaque Arti medicae omnique doctrinae, quae ad eam attinet, exquisitius studuit, confectoque Academico cursu feliciter peracto, Licentiati Honores ab Ordine nostro modeste petiit; et cum in Examine instituto optima profectuum Specimina ediderit, decretum est, ut meo sub Praesidio Dissertationem proprio Marte elaboratam: *an Erigus debilitet, an roboret?* publice defendat. Solenni ergo huic Actui ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES et LIBERI BARONES, PATRES CONSCRIPTI, alique FAVTORES beneuole interesse velint; humanissime rogamus.

Domin. post Fest. Epiphan. II. a. c1813.

Botan 521

